

4
CASUS CHIRURGICI:

QUORUM PRIMUM,

VULNERIS SCILICET CONTUSI CAPITIS
CUM FRACTURA CRANII ET INSIGNI
DEPRESSIONE,

VENIA EXP. FACULT. MED. ACAD. IMP. ABOËNSIS

PUBLICÆ CENSURÆ SUBMITTIT

CAROLUS DAN. VON HAARTMAN,

*Philos. & Med. Doctor Urbisq̄ue Aboëns. Medicus
& Chirurgus.*

RESPONDENTE

WILH. AND. OLAO WENERBOM,

Sueo-Gotho,

Die 27 Maji MDCCCXVIII, in Audit. Medicæ
horis a. m. solitis,

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.



La nature seule doit parler dans les Observations; mais son langage, lors même qu'on nous le rend fidèlement, est presque toujours enveloppé ou ambigu, & même souvent trompeur; on ne peut l'interpréter que par le concours des lumières qu'une grande pratique & une profonde théorie peuvent réunir.

QUESNAY.

Quæ mediæ ævi temporibus omnes scientias omnesque obumbraverant artes tenebræ, Hippocraticam quoque diu victam tenebant artem, quæ nec nisi tarde & post varios casus, quale solet esse cognitionum humanarum fatum, ad hodiernam qualemcunque perfectionem pervenit. Quamdiu fabrica & structura corporis humani adhucdum non nisi parum erat explorata nec organorum ejusdem functiones investigatæ, sanioribus carebant antiquiores Pathologicis & Therapeuticis cognitionibus, & tam Medici quam Chirurgi frequenter laborabant: nec erat apud hos ulla scientia: manu tantum agebant sollerti, parum ingenio, quippe quia illorum tantum præcepta, e falsis sæpius deducta hypothesebus, serviliter semper erant secuti a).

A

E sche.

a) Nunquam Chirurgo antiquiorum temporum absque medici cujusdam præsentia operationem quandam fecisse majorem, testantur omnium scripta. Hæc fuit etiam causa cur tam parum in arte ipsi profecerant. Confr. HILDANI Opera Observation. & curation. Medico-chirurgicarum Frankf. 1646 p. 21 seqq. & K. SPRENGEL'S Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzeneyk. Halle 1804 T. 3. p. 458 seqq.

E scholis medicis, quæ celeberrimæ Bononice, Patavii, Mutinæ, Romæ, Basileæ aliisque multis in locis sensim fuerunt institutæ, prima tandem emanabat lux Machaoniam super artem, Anatomia diligentius summoque cum ardore in iis culta; & a medicina tandem sejunctæ chirurgia, certiorique cognitione de fabrica corporis humani fundata, arte meliore exercebatur. Sed a remotissimis jam inde temporibus traducti errores cito evanescere non potuerunt, & novæ hypotheses antiquiorum cito occuparunt locum. Pertinaces enim in perferutando & investigando cultro oculoque anatomico fabricam corporis quod ad formam partium ejusdem externam, naturæ & quasi internæ earum vitæ connivebant, & systemata eorum doctrinæque nimis mechanicam induerunt formam *b*). Chirurgia vero chaotica quædam erat doctrina de usu & applicatione instrumentorum, quorum admodum raro quædam experientia duce, sed pleraque in conclavibus medicorum inventa fuerunt, & quæ ad nostrum pervenit tempus copia armamentorum quæque in museis servantur chirurgicis, controversiæque subtiles de eorum usu, satis demonstrant quam parum in re ipsa profecerint priorum saculorum chirurgi. Diu ita in tenebris & erroribus hypothesium irretita mansit Diva nostra scientia, donec tarde progrediente arte tam per observationes diligenter institutas & historias morborum vere & adcurate editas, quam per descriptiones partium læsarum post mortem factas, saniores tandem discerent Chirurghi viam mendi, pravitatemque antiquiorum artis doctrinarum rite intel-
lige-

b) Quousque iatromathematici ludicras suas extenderent theorias, præsertim quod ad chirurgiam, ex Dissertatione, Celebris quondam a WAGNERO Matheseos Professore Jenæ 1708 edita de Contrahisuris, in qua ex geometrica forma cranii possibilitatem earum mathematicè defendit; & ex Dissert. a LE MAIRE. Argentorati chirurgus quodam 1722, de resonitu edita, satis colligi licet.

ligerent. Quemadmodum enim non ratiocinatio vel subtilis excogitatio, sed, ut præclare CICERO, notatio naturæ & animadversio artem quamvis peperit, ita etiam colligendo & invicem comparando observationes varias hic vel illic in historiis morborum editis obvientes, reformata sunt præcepta artis erronea, & stabilita quæ incerta adhuc & vacillantia fuerunt. Et eo modo systemata formata sunt artis, & theoria quædam in genere certa & fundata prodiit. Unaquæque igitur historia morbi cujusdam rarioris non per se sed cum aliis collata scientiæ profuit. Et maxima sic erit historiarum morborum editarum ad conformandam theoriam artis utilitas, quæ parva omnino esset si exempla tantummodo præberent in casu quodam dubio imitanda. — Summos itaque in scientia ii sibi vindicarunt laudes, qui, vel quos curarunt morbos, vel eos in quibus curam non attigerunt, descripserunt memoriæque tradiderunt quorumque omni ævo bene meritorum hæc enumerare licet nomina: PLATERUM, c) FORESTUM, d) HILDANUM, e) RIVERIUM, f) SCULTETUM, g) MARCHETTIS, h) ROONHUYSEN, i) RUYSCH, k) SAVIARD, l) TURNER, m) LE

A 2

DRAN

c) Observat. Basil. 1614.

d) Observat. & curation, Op. Omnia Francof. 1623.

e) Op. c.

f) Observat. Chirurg. Haag. 1651.

g) Armament. Chirurg. Ulm. 1655.

h) Observ. Med - chirurg. Patav. 1664 — 71.

i) Historische Heilcuren Norimb. 1674.

k) Observ. Anat. Chirurg. Centur. Amstelod. 1691.

l) Nouveau Receuil d'Observ. chirurg. a Paris 1702.

m) Casus chirurg. de fractur. cranii Lond. 1709.

DRAN, *n*) PLENK, *o*) HEISTER, *p*) A. G. RICHTER, *q*) AB
 ACREL, *r*) THEDEN, *s*) HILL, *t*) J. BELL, *u*) ABERNETHY *v*), &
 præter hos, qui separatim observationes & historias ediderunt
 morborum chirurgicorum, multosque alios quorum opera non
 contigit nobis pervolvere, ubique in transactionibus & actis
 multarum societatum literariarum, præsertim vero medicarum,
 ut & in operibus dissertationibusque chirurgicis variis, casus
 reperiuntur singulares descripti permulti. In Anatomia vero
 Pathologica cujus non minor fuit usus ad perficiendam scientiam
 nostram celebres sunt & fuere nobisque etiam innotuere:
 HOFFMAN, *w*) PAAWS, *x*) PALFIN, *y*) MORGAGNI, *z*) BAILLIE, *aa*)
 & OTTO *bb*).

De

- n*) Observ. de chirurg. T. II. Paris 1731.
- o*) Med. Chirurg. u. Anatom. Wahrnehm. Rostok 1753.
- p*) Saml. von Beob. einiger Gegenst. d. Wundarznk. Wien 1775.
- q*) Observatt. Chirurgicæ Gotting. 1783.
- r*) Chirurgiska Händelser Stockh. 1775.
- s*) Neue Bemerk. z. bereicher. d. W. Arznk. Berl. 1782.
- t*) Cases of Surgery Dumbf. 1786.
- u*) The principles of Surgery Lond. 1806.
- v*) Surgical Works Lond. 1815 quæ duo posteriora Opera hoc loco
 ideo nominavimus, quod dimidia eorum pars constat ex exemplis
 & casibus allatis.
- w*) Disquisit. corpor. hum. Anatom. Pathol. Altorf. 1713.
- x*) Anat. Pathol. Beobacht. in Hist. Anatom. BARTHOLINI Hafn. 1657.
- y*) Chirurg. Anatom. Nürnberg. 1760 — 64.
- z*) De sed. & causis morbor. Ebrod. 1779.
- aa*) Morbid Anatomy Lond. 1812.
- bb*) Seltene beob. z. Anat. Physiol. u. Pathologie gehörr. Bresl. 1816.
 Nomen hic quoque asserre Amici nobis faventissimi Dom. E. GA-
 DELLI ad Institut. Chirurg. Carol. Holmiæ Professoris, inter eorum,

De eo persuasi unumquemque casum singularem in artis exercitatione occurrentem aliquam saltem, si divulgetur, scientiæ ejusque cultoribus afferre utilitatem ansamque posse dare ad illustrandam obscuram aliquam partem artis, etiam nos, viribus licet juvenilibus diffidentes, casus chirurgicos notatu digniores, qui in nostra praxi occurrerunt, aut in posterum occurrent, in publicum edere statuimus *cc*). Horum primus jam prodit: *vulnus scilicet contusum capitis cum fractura cranii & insigni depressione*, quod quidem non minus ob situm & indolem suam, quam ob exitum, scientiæ amicorum interesse potest. Spes nobis sedet jucunda Benevolum Lectorem voluntati saltem nostræ denegaturum non fore approbationem, si quoque observationes nostras nimium leves aliquando haberet &, in arte peritior, methodis nostris curationis adhibitis non omni ratione annueret.

Casus Primus:

Vulnus scilicet contusum capitis, cum fractura cranii & depressione insigni.

Fuit æger, cujus historiam hic e schedis nostris transcribimus, Rustici cujusdam e pago prope ad urbem nostram famulus,

quorum opera Anatomico-Pathologica nobis innotuere, jubet gratissima mens eumque hoc non indignaturum fore speramus; sæpius enim antea, & nunc quoque per litteras, suas in Anatomis Pathologica adnotationes pretiosissimas, quas publicaturum se fore promissit, nobiscum in antecessum communicavit multumque ita & de lætationis & fructus conciliavit.

cc) QUESNAY his utitur verbis in Memoires de l'Acad. Royale de Chirurgie T. 1. p. 233: on peut découvrir dans les Observations les

famulus, nomine *Johannis Matthiæ filii*, corpore carnoso & robusto, ætate 21 annorum, & nimium deditus potationibus, Orta vespere nostrum inter & alium confamilium quendam, cum quo antea in amicitia vixerat, rixa initiò verbis certabant, ambobus vero, ut videtur, a spiritu frumenti nimio capto incitatis, alter ille malleum furorium qui ad manus erat, occupatus enim fuerat æger noster in opere furorio, prehensens, hujus nostri caput rotunda mallei parte tanta cum violentia percussit, ut mox dilaceratis integumentis magna e vulnere oriretur hæmorrhagia quæ finem posuit rixæ. An læsus animi deliquium perpesus fuerit, nec ex aliis nec ex ægrotante ipso comperire potuimus, quamquam quidem suspicari id licet ex violentia ictus & magnitudine læsionis. Terrefactis tunc adstantibus ob sanguinis profluvium vehemens, quod cum solitis remediis sistere non possent, Chirurgum quendam ex urbe acciverunt, qui inspecto vulnere & fracturam cranii inveniens, deligationem ad cohibendam hæmorrhagiam applicavit, vulneratumque ad Nolocomium Urbis duendum ivasit. Præter hæmorrhagiam vero de nullo malo conquestus fuerat ægrotus, nullum habuerat dolorem capitis, nullamque nec vomitionem nec nauseam perpesus erat.

Postera die, quæ erat 21 mensis Martii anni superioris, ægrotantem visitavimus eumque concilium sui parumque de dolore ullo conquerentem invenimus. Erat tamen facies rubicunda, pulsus naturali tardior, & vertiginem debilitatemque sentiebat insignem. Remota vero deligatione quo ipsius læsionis naturam cognosceremus, hæmorrhagia oriebatur e vulnere dilacerato, ad longitudinem pollicis cum dimidio supra angu-

plus communes, & même dans les Observations les plus remplies d'erreurs, des singularités qui peuvent aider à trouver ou à éclaircir quelques vérités importantes pour la théorie ou pour la pratique.

angulum anteriorem superiorem ossis bregmatis sinistri inflit-
 cto. Quod ubi digito & specillo exploravimus, fracturam
 cum depressione ossis nominati adesse intelleximus, tantaque
 sentiebatur depressio quasi margo ejusdem sinister sub mar-
 gine ossis sani adjacentis submersus fuisset, pars vero ossis
 fracta ita soluta, ut digito imposito deprimi aliquantulum
 posset. Quo igitur accuratius nobis explorare liceret indolem
 fracturæ, incisionem ibidem fecimus crucialem, qua facta fra-
 ctam ita & depressam vidimus ossis parietalis sinistri partem
 fere circularem, magnitudine imperialis argentei Rusfici, in
 angulo superiori anteriori nominati ossis, ut fere omnino so-
 luta a circumjacentibus ossibus sentiretur. — Hic dum erat
 status ægrotantis periculosus, justum & necessarium duximus
 partem ita fractam & propè solutam amovendam esse, ne
 orta caries duram irreparabiliter læderet matrem, & quam-
 quam nulla aderant symptomata graviora, qualia fuissent pa-
 ralysis, stupor, spasmus &c. confestim operationem poscentia,
 ne mora tamen inutili & forsitan noxia curationem differremus,
 continuo ad eandem perficiendam aggrediebamur. Primo igitur
 elevatorii ope fecimus periculum si ita ossis fracti eductio-
 nem perficere possemus; quum vero incasum evasis tenta-
 men nostrum, magnaque hæmorrhagia ad saltus per fractu-
 ram vehementer prorumpens majoris cujusdam sanguinei re-
 ceptaculi & quidem, ut suspicavimus, Sinus longitudinalis læ-
 sionem indicaret ad modioli usum statim confugimus applicatis
 antea plumaceolis duram matrem inter & os ad hæmorrhagiam
 paululum cohibendam. Dilatata igitur incisione cruciali,
 primum quidem periosteum ad latitudinem coronæ trepani,
 ope raspatoris, ab osse denudavimus, deinde vero, ut so-
 lent Chirurghi, terebello acuminato, perforator dicto, in cen-
 tro orbiculi excindendi circumagendo foramen effecimus tan-
 demque ipsam coronam unius pollicis diametri, cylindricam,
 trepanum mas qualem vocant, aptando stylo acuto in medio
 ejusdem affixo in foramen perforatore factum, ad anteriorem
 partem

partem fracturæ fere in angulo ossis applicavimus, eoque modo ut pars coronæ super futuram sagittalem collocaretur. Terebrationem vero cauta & levi manu repetiitque frequenter institutis explorationibus cum penna anserina, in specilli formam excisâ, in altitudinem foraminis, lente perfecimus, postquam antea sub media operatione, vel quamprimum coronæ circumductione sulcus annularis factus fuit in quo ipsa corona firmiter potuit circumagi, clavum vel in medio coronæ fixum terebellum removissemus. — Peracta vero ita operatione, cujus sub initio satis magna erat hæmorrhagia, quamque fortissimo perpesus est animo ægrotans, & partem orbicularem trepanatione excisam & ipsum fractum frustum facile absque omni vi forcipe eduximus, duramque invenimus matrem a cranio nonnihil ad margines fracturæ, præsertim vero sinistrorsum ad orbitam versus, longitudine pollicis solutam & sanguine coagulato tectam; in Sinu vero Longitudinali vulnus conspiciebatur minutum, ex quo & nunc sanguis abunde prorupit & hæmorrhagiam illam vehementem ante operationem ortam fuisse credimus. Remotis igitur cultro lenticulari circumducto spinis in margine foraminis inferiori hinc inde eminentibus, levique manu depurato vulnere a scobe post terebrationem remanente & a sanguine coagulato, turundam *Oleo Terebinthinæ* tinctam in vulnus Sinus longitudinalis imposuimus, duramque matrem liateo carpto tenero obteximus, impositisque deinde splenis cum fascia triangulari, mitra dicta, omnia firmiter deligavimus. Ægrotus vero ad vires non nimium fractus, ipse in conclave suum cubitum semet contulit. Ordinabantur: somninationes frigidæ in caput applicandæ, dieta tenuis & potio laxans e salis Anglici (*Sulphatis magnesiæ*) uncia collecta.

die 22. Satis alacrem inveniebamus ægrum. Somnus sub nocte bonus fuerat & quietus, alvusque semel ducta, pulsus vero & duriusculus, & celer sentiebatur, erantque genæ rubi-

rubicundæ, & de vertigine absque omni tamen cephalalgia conquerebatur. Repetita Potio laxans.

die 23. Somnus bonus etiamque appetitus; alvus non ducta; pulsus tamen mollior & tardior; nullus dolor capitis; paullulum tantum sensit vertiginis quum erectus sedebat in lecto. Repetita potio laxans, & cum diæta tenui ac fomentationibus frigidis continuatum.

die 24. Pulsus, somnus & appetitus naturales, alvus semel tantum per nycthemeron ducta; per ligaturam vero pus, odore ingrato colore tamen optimo, jam penetraverat; remotis igitur fasciis splenisque, linteum carptum in vulnus immisum pure permadidum extraximus, relicta tamen turunda in vulnus Sinus Longitudinalis immerfa, novamque deligationem priori similem fecimus, & ab omni medicina interna desistendum esse præscripsimus.

die 25. Totam deligationem deduximus, sanatumque inventientes vulnus Sinus longitudinalis, linteamento carpto tenero duram ubi que obteximus matrem, applicatis deinde splenis & fascia ut antea.

die 26. Pulsus plenior & paullulum celerior, cetera ut antea. Renovata deligatione exhibebatur Pulvis nitrosus.

die 27. Ægrotantem non visitavimus.

die 28. Optime sese habebat ægrotus, & quidem, ut ipse dixit, melius quam unquam; ubi vero ablata fuit deligatio, magna duræ matris apparebat mutatio: quippe quæ antea sana fuerat, morbosam nunc assumerat speciem; quamquam enim hic & illic provenire videbantur papillæ carneæ, majores tamen & pallidiores erant, quam quæ solent progigni e dura cerebri tunica ad granulationem vergente, & inter has sacculi nonnulli erant formati pure impleti, e quibus lanceola

apertis multum puris, bonæ indolis, erumpebat *ad*). Unguenti digestivi paululum linteo carpto illiti in duram imposuimus matrem, deligationemque deinde ut antea perfecimus, omisis omnibus tam internis quam externis remediis. Diæta plenior ægrotanti jam nunc quoque permisa fuit.

die 29 — 31. Multum puris, & in dura matre formati, & effusi ex ulcere sub osse frontis, ubi a cranio soluta erat dura mater, orto, quodque per suppurationem magis magisque in dies crescens fistulæ induit formam, pollicis cum dimidio jam mensurantis profunditatem. Deligabatur vulnus more solito.

die 1 — 3 mensis Aprilis ligatura remota innumeræ pro-
venerant papillæ carneæ duram obtegentes matrem & fere
totam aperturam cranii implentes, quas ne fistulæ quoque a-
perturam obturarent purisque effluxui ex eadem obstarent,
reprimere necesum erat. — Pressione itaque uti primo propo-
sivimus, si ita supprimi possent, & plumaceolas sic dictas gra-
duatas h. e. magnitudine magis magisque auctas cum superim-
positis splenis in vulnus immisimus, arctiusque deinde fasciam
constrinximus mitralem, quibus omnibus satis magnam effeci-
mus compressionem.

dieb.

ad) Singulare erat hoc phænomenon, a nemine, quantum saltem nobis innotuit, antea descriptum: suppuratio scilicet inter lamellas duræ matris, talem enim nos eandem consideravimus; & quem præter vertiginem absque omni effectu insigniori adesset, novum exstat exemplum quam sint incertæ & fallaces indicationes suppurationis duræ meningis, eamque aliquando formari nulla prægressa phlogosi notabili; de qua re etiam, licet paucissimis verbis, admonuit CALLISEN (*Syst Chirurg. Hodiernæ Hafn.* 1817. T. I. p. 724) — Adnotatu dignissima nobis videbatur hæc suppuratio ea etiam ratio-
ne, quod aliquo modo explanet præsentiam puris inter duram & piam matrem inventi sine prægressis symptomatibus inflammationem harum tunicarum indicantibus.

dieb. 4 – 15 deligatio his diebus cum pressione facta paululum restrinxerat papillas fere fungosas e dura matre pullulantes, ne tamen luxuriantes nimium aperturam tandem clauderent fistulæ, easdem quotidie caustico lunari tetigimus, ut & simul sæpissime fecimus incisiones in margines vulneris, quippe quia callosi & introrsum reflexi exfoliationi obstabant *ee*).

die 16. Prima apparuit exfoliatio, marginis scilicet per trepanationem facti foraminis, causticumque iterum & satis larga manu adhibere consultum duximus.

dieb. 17 & 18 multa frustra ossea exfoliatione soluta extraximus: & quamquam vulnus ubique alias sanari incepit, fistula tamen illa sub osse frontis descripta, nullum consolidationis signum monstrans, sed potius in dies crescens, remansit, & pus effundere copiosum perrexit. Injectionem igitur quotidie, incitationis gratia, e Tinctura Myrrhæ cum Aqua Chamomillæ in eandem tentavimus, sed & hoc remedium expectationem nostram fefellit. Ne mora igitur fistula, deorsum semper tendens, curationem & retardaret & difficiliorem redderet, de novo die 29 Aprilis, ad modioli usum confugi-

B 2

mus

ee) Ex difficultatibus, quas, sub curatione hujus læsionis, innumeras nobis facesiverunt lacinix angulatæ integumentorum crucialiter incisorum, prerogativas incisionum circularium in omnibus iis casibus, ubi jam ab initio de necessitate trepanationis dubitari non potest, facile suspicamus. Confr. CALLISEN Op. c. 75 seqq. Ubi vero explorandæ læsionis gratia incisiones cruciales factæ fuerint, quibusque in genere magis ardent hæc incisiones, non possumus non commendare usum laminarum ferrearum, formæ spatularum, D:ni CROKER KING, quibus lacinix integumentorum sub operatione retineantur maximo cum levamine dolorum ægrotantis. Vidimus eas bis adhibitas in Anglia; confr. vero J. BELL op. c. p. 830.

mus ff), eumque ita applicavimus, ut totum fundum fistulæ patefactum haberemus, quæque pars cranii adhuc inter foramen modiolio factum & fracturam remanebat, (erat enim corona trepani non magis quam unius pollicis diametri), forfice sejunximus abstulimusque, ablataque ita cranii parte quæ jam dudum fuerat a dura matre hoc modo soluta, suppurationem hanc eo loco & minime bonam indicantem prognosin denudavimus, eamque linteo tantum carpto sicco deligavimus.

die 30 — 31. Optime, post alteram hanc factam trepanationem, semet habuit ægrotus, fuitque dura mater specie meliore, & pus in eadem formatum bonæ indolis.

die 1 Maji. Ubique sanæ apparuere granulationes duræ matris, quæque ita increvere ut tempore 12 dierum tota quanta dura mater ab iisdem eslet tecta; sed cunctante diu exfoliatione marginum foraminis cranii, tam ex longa ægrotantis in nosocomio commoratione, quam ex diæta eidem ibidem concessa cui quippe advetus non erat, tardissime omnino & post multas tam nostras quam ægroti molestias, consecuta est cicatricis formatio justaque firmitas & plena vulneris sanatio, ita ut non prius, quam post 7 cum dimidio mensium in nosocomio moram, die 7 Octob. emitti posset — & sanum eum huc usque remansisse compertum quoque habemus.

 Pe-

ff) Statuit quidem HIPPOCRATES (De capit. vulner. cap. XX) *citra tri-duum perforationem excedere non debere*, et futilitatem hujus doctrinæ multis exemplis jam diu monstravit recentior ætas. Afferit etiam RICHTER, Chirurg. Bibliothek T. XI, p. 335, exemplum læsionis capitis analogum nostro, ubi ob fistulam sub osse occipitis formatam, altera vice trepanatio facta fuit duraque mater exulcerata inveniebatur & excrescentiis fungolis tecta, quæ escharoticis feliciter tractatæ fuerunt,

Peracta ita curatione gravissimæ & periculosissimæ læsionis, si exitus morbi vel convenientiam vel pravitatem methodi curationis aliquo modo posset determinare, non est cur de usu & necessitate operationis a nobis adhibitæ dubitemus. At ut sapius in læsionibus capitis cum fractura cranii conjunctis difficillimum solet esse determinatu an necessaria nec ne sit trepanatio, ita etiam in dubium vocari potest, utrum fuerit in casu nostro jam allato omnino non evitanda hæc operatio, an, si therapia ad symptomata conveniens & deligatio vulneris apta adhibere fuissent, non æque bene curatio læsionis sequi potuisset absque operatione, quæ & arduum est & periculosum officium (BOHNIUS), non enim Medici est apte tantum sanare, sed debet etiam jucunde sanare *gg*) Huic dubio quoque contrarias, quæ apud Rei Chirurgicæ scriptores inveniuntur, sententias de trepanatione indicationibusque ejus instituentæ, favere & magis in errorem artis parum expertum, qui dubius ad eorum confugerit volumina, inducere quam eum in praxi juvare, omnibus facile patebit quibus contigerit illorum satis multorum pervolvere opera. In nulla enim parte artis, quæ manu curat, tot creatæ fuerunt totque adhuc prævalent falsæ & noxiæ placita, & in nulla tam incertæ ab Auctoribus traditæ sunt regulæ, quam in illa de læsionibus capitis agente. Pars eorum, & præprimis antiquiores, fere in omni fracto fistove cranio modioli ulum ut omnino necessarium commendarunt *hh*); alii ab operatione hac tam in fracturis

gg) Ut in genere Medici est mitissimis uti remediis ita eo magis hoc suum erit officium quum ad litem venerit res; debet enim, secundum legem nostram criminalem violator vulnerato sub curatione perpesum dolorem (sveda och värk) remunerari. (Mifsg. Balk. 39 cap.)

hh) HIPPOCRATES. De Capit. vulnerib. MAGATUS Lib. II. de Vuln. rat. med. Venetiis 1676 cap. 41. HILDANUS Op. c. Lib. vi. Obs. XLII. SHARP a Treatise on the Operat. of Surgery Lond. 1751. Cap. XXVII. DIONIS Cours d'Operat. de Chirurg. a Paris 1757.

ris vel majoribus vel minoribus, quam & præsertim in contusionibus cranii, fere omnino dissvadent *ii*); ceteri demique, magis rationales, & quidem omnes recentiores scriptores, nec in fracturis nec in contusionibus nec in depressionibus cranii terebrationem instituendam esse volunt, ante quam adfuerint signa, quibus suspicari licet encephalon esse affectum, vel nisi ex vulneris & læsionis gravitate atque violentiæ illatæ vehementia colligi licet eum cito certoque fore affectum *kk*). Et ipsi quoque in Nosocomio Londinensi, (London Hospital) quod per quinque menses quotidie visitavimus, fracturam ossis Bregmatis magnam & depressam cum dilaceratione integumentorum ab ollæ pro vaporum explicatione subita rupta ortam,

Sixieme Demonst. POTT Chirurgical Works Lond. 1775 p. 148 seqq. ACADEMIA ANTIQUA CHIRURGICA Parisius cujus quidem doctrinas de Trepanatione præcipuus protulit D:nus QUESNAY vide Memoires de l'Academie Roy. de Chirurg. a Paris T. I. Memoires 3:me 5:me 7:me & 9:me conf. etiam PALFIN Op. c. p. 326 & ROUHault Traité des Playes de Tête Turin 1720 p. 46 & 52.

ii) MUSITANI Scripta Chirurg. Francof. 1701 ubi p. 101 singularia hæc inveniuntur verba: "*hæc maledicta cranii perforatio vulneratorum myriades tentatæ immolavit, non exiguos implevit sarcophagos & innumeros defunctos animos ad charontis cymbam adegit, quum a Beelzebub dæmonum principe & humani generis hoste natam fuisse & nefariis consignatam chirurgis credimus*". MORGAGNI Op. c. T. I & III.

kk) A. CORN. CELSI Medicinæ Lib. VIII. Cap IV. BERENGARIUS de Fract. cranii Lib. Aureus Venet. 535. PAREUS Op. Omnia Amstel. 1636 Csp. IX. SAVIARD Nouveau Recueil d'Observ. Chirurg. a Paris 1702. HEISTER Instit. Chirurg. Amstelod. 1750. Cap. XLI B. BELL System of Surgery Edinb. 1785. Vol. III. A. G. RICHTER Anlings G. d W Arzneyk. Götting. 1802. T. 2. Cap. I J. BELL Op. c. Vol. II. Part. II. ABERNETHY Op. c. Vol. II. p. I seqq. CALLISEN Syst. Chirurg. Medicinæ Hafn. 1815. Vol. I. p. 698 seqq.

tam, abque ullius instrumenti usu, fomentationibus solis & evacuantibus copiosissimis sanatam observavimus. At in fractura cranii, quæ huic disertationi præbuit materiam, quæque tam ob situm quam etiam ob læsionis gravitatem erat periculi plenissima, non potuit non esse necessaria trepanatio a nobis quoque instituta. Quamquam enim nullum aderat symptoma nec compressionis cerebri a depressa parte ossis ortæ, ut paralytis, debilitas, sensuum labes, stupiditas aliæque, nec irritationis a margine ossis fracti in dura matre excitatæ, ut febris, spasmi, inflammatio &c. quod trepanationem indicaverit cito adhibendam, & licet exempla haud quidem rara essent, quale etiam fuit supra allatum illud quod Londini vidimus, fracturarum gravissimarum cum depressione junctarum quæ sine trepanatione sanatæ fuerint //); nihil tamen in nostro casu erat, ex quo, omisa operatione, faustum exitum læsionis sperandum fuisse judicare potuissemus. — Erat enim & fracta pars ossis bregmatis, quam post operationem extraximus, non tantum per fracturam circulem ubique ab ossibus adjacentibus separata & quasi insulata *mm*); sed etiam sub integro osse depressa; & integumenta vi ictus atque obtusa forma mallei con-

con-

//) FORESTUS Op. c. Obs. III. BERENGARIUS Op. c. Cap. XXV. *ab*. ACREL Op. c. p. 2. POTT Observ. on the nature of the injuries to which the head is liable Lond. 1768 p. 117. MORANDS Chirurg. Schrift. Leipz. 1776 p. 360. BILL Op. c. p. 113 seqq. ABERNETHY Op. c. Vol. II. Case 1 — 7. Chirurgiska händelles intämna- de af Fältkårerne i Riket Stockh. 1769 p. 48. Comment. de Reb. in Scientiis Nat. & Medic. gest. Lips. 1778. Vol. XVII Pars. II. pp. 309, 313. Vettenskaps Handl. för Läkare och Fältkårer af HEDIN Stockh. 1793 T. I. H. 3. p. 69. O'HALLORAN in Transactions of the Royal Irish Academy Vol. IV.

mm) Statuit HASSEBERG Diss. de capitis læsion. trepanat. exigent. Götting. 1785 in omni fractura circulari trepanationem esse instituentam. Etiam B. BELL Op. c. idem commendat.

contusa & dilacerata; & denique ipsa dura mater tam a fracto cranii frusto, quam ubique circum margines foraminis osis integri soluta, quibus quum omnia ita vasa fractam partem nutrienda vel rupta essent vel contusa etiam omnem vitam ejusdem extinctam cito fore judicavimus; erat etiam dura mater tam a margine inferiori inæquali osis depressi, quam ab extravasatione sanguinis in eandem facta, irritata, ex quo suppuratio ejusdem, indeque oriunda gravissima symptomata, multum omnino erant timenda; & denique vulnus aderat Sinus Longitudinalis, quod quamquam post recentiores factas observationes minime lethale, qualis erat antiquiorum sententia erronea, *nn*) habendum erat *oo*), ea tamen ratione in nostro casu periculosissima haberi debebat, quod quamdiu ab osse depresso opertum manebat, non potuit attingi aptaque deligatione imposita curari. Facile igitur apparuit nobis, nec potuisse fieri ut os circulare fractum iterum cum partibus sanis concrefceret, sed ad evitandos periculosissimos suos in duram matrem effectus fuisse extrahendum, nec ut irritationi a spinis marginum osis excitatæ sine ipsius deductione mederemur nec ut puri,

nn) GARENGEOT Traité des Operat. de Chirurg. 1731 a Paris T. III. p. 178. PLATNERUS Instit. Chirurg. ration. Lipsiæ 1745 p. 342 de GORTER Chirurg. Repurg. Lugd. Batav. 1742 p. 71. HEISTER Op. c. p. 499.

oo) WARNER (Surgical Observ.) & POTT (Obs. on the wounds of the head) Sinum Longitud. per fracturas impune laceratum observarunt. CALLISEN vero (Societat Med. Hafn. Collect. Vol. I. Obs. V), POTT (Op. c. Obs. 28) & RICHTER (Op. c. T. 2 pp. 101, 129, 144) ipsi ex industria sectionem fecerunt Sinus Longitudinalis optimo cum fructu in congestionibus sanguineis vasorum cerebri; Confr. etiam; Memoire sur les plaies du Sinus Longitud. sup. par LASSUS p. 71 in Memoires de l'Academie Roy. de Chirurg. T. V Demonstrarunt tamen experimenta in vivis animalibus facta D:ni BRÜCKNER (Neueste Abb. f. Wund. Arzte 5 ft. p. 303 & seqq.) Sinum Longitud. non semper absque periculo posse ledi.

puri, nisi post operationem, pateret exitus, nec denique curam ad vulneris Sinus Longitudinalis sanationem necessariam, possibilem fuisse antequam, per operationem remoto osse, idem & bene videre & attingere possemus.

Tot ergo tantæque nobis fuere indicationes ad cranii te-
rebrationem instituendam, quamquam neque nos ignoravimus
& pericula ex ipsa operatione oriunda & aëris nosocomialis
in læsiones capitis effectus nocivos *pp*). Et hanc quoque ne-
cessitatem trepanationis ex ipsis difficultatibus, quibus ulcus
illud fistulosum sub cranii anteriori parte formatum, perdu-
ctum fuit ad cicatrificationem quæ quippe non prius sequeba-
tur quam, de novo facta trepanatione, liberiolem puri procu-
ravimus effluxum, confirmatum credimus *qq*).

Historiam sic B. L. enarravimus læsionis capitis gravissi-
mæ quidem, sed, adhibita trepanatione, feliciter curatæ: si
inde aliqua scientiæ accedere poterit utilitas, punctum tulimus
optatum. Illam vero experientiam confirmatam saltem in
hoc casu vidimus, scilicet & vulnera Sinus Longitudinalis
non semper esse periculosa, & trepanationem etiam in futura
C fagit

pp) SAVIARD, La MOTTE, PETIT & DESSAULT Chirurghi Nosocomii
Hotel Dieu Parisiens trepanationem nunquam in eodem Nosocomio in-
stituebant ob nocivos effectus aeris ejusdem in eos qui trepanati
fuerunt. Confr. J. BELL Op. c. Voll. II. P. II, p. 362 & MOR.
CAGNI Op. c. Vol. III. p. 65.

qq) Exempla fracturarum cranii cum depressione per trepanationem sa-
natorum inveniuntur apud AERZL Op. c. p. 7. SMUCKER Chirurg.
Schrift. Berl. 1782. B. 3 p. 240. & seqq. ABERNETHY Op. c. Vol.
II. cases 10 & 12; & in Memoires de l'Acad. Roy. de Chirurg. T.
I. memoire 3^{me} & 5^{me} denique in Transactions of the Royal
Irish. Academy Vol. IV. & Miscell. Medico-Physic. Decur. II.
Ann. II^{di} p. 315.

ſagittali, urgente neceſſitate, & cum debitis cautelis, ſine
damno inſtitui poſſe, & denique ad reſtringendas fungoſas
excreſcentias e dura matre ortas compreſſionem plumaceolis
& ſpleniis factam modicam aliquando ſufficere,

